



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Svcqv̄et E Societate Iesv Via Vitæ Æternæ

Sucquet, Antoine

Antverpiae, 1630

Cap. 49. de perfectionibus Dei

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54856)

CAPVT XLIX.

De undecimo remedio Meditationem atque affectus eius ampliandi, sive de Perfectionibus Dei, quibus meritò provocamur, ut ei per virtutem serviamus.

COMPOSITIO LOCI, ut in imagine, & ORATIO, ut supra.

PUNCTVM I. Considera, ò anima Christiana, quæ ad virtutem amplectendam, & perfectionem vocaris; necessariò tibi serviendum esse, aut Deo per illam, aut *Aut Deo aut demoni serviendum.* dæmoni per vitium; idque attendere licet in singulis actionibus, cogitationibus, verbis, desideriis, &c. & dic mihi, utri eligas parere. Nemo enim potest duobus dominis servire, Deo & mammonæ: non capit idem *Matth. 9.* locus arcam & Dagon: non est conventio Christi ad Belial: neque est participatio iustitiæ cum iniquitate, *2. Cor. 6.* aut societas luci ad tenebras. Quid verò præstat?

Hæcine vera, ut supra pag. 7.

Considera Secundò, quid sit diabolus, cui servit omnis peccator: hostis Dei & tuus infestissimus & crudelissimus, qui illecebris mundi te invitat ad flammam æternam, in quas innumeros præcipitavit Reges, Principes, & sæculi amatores: dirissimum monstrum, in quo nulla pietas, æquitas, largitas, sed omnium vitiorum sentina & malorum. Invitat autem ex summo odio & invidiâ, quâ Lucifer cælo privatus nos similiter excludi æternis veller gaudiis, & in eadem secum esse damnatione: atque ad hoc omne genus fraudum & delictum excogitat, ut ad vitium alliciat, maximè superbiam & ambitionem, & amorem divitiarum. Putas qui hæc credit ei vult servire? Tertiò, considera peccatum nihil (ut sic loquar) aliud agere, quàm ut ei serviat; virtutem verò, ut Deo optimo maximo. *Servitus vitæ.* Quartò, cogita quid sit diabolo per vitium servire; nempe ad vilissima

vilissima indignissimaque præstanda compelli, omni horâ ac momento alligati catenâ pravæ voluntatis, rei abjectæ & vili, ei que mancipari: servit enim pecuniæ avarus, servit voluptati luxuriosus, &c.

Aspira, ut sup. pag. 8 Hæcine firmâ fide.

*Quid sit
Deus.*

Exod 3.

*Fons omnis
boni Deus.*

*Sab. II.
Isaia 40.
Psal. 101.*

*Deus æter-
nus cetera
momenta-
nea.*

*Deus omni-
potens.*

Isaia 40.

PUNCTVM II. Considera Primò, ac vivâ fide apprehende esse verè Deum optimum, maximum, cui omnes servire oporteat, eumque solum verè esse, cum cætera tanquam nihilum sint, ante illum; ideoque. Qui est, dicebat Moyses, misit me. Eundem attende esse spiritum nobilissimū, amabilissimum, & simplicissimum absque ulla compositione, unum quidem in substantia, sed trinum in personis, & immortalem. Vide ergo an ei qui est, an ei quod non est, & mundo perituro, hostibusque tuis magis quàm immortalis Deo servire expediat. Secundò, considera eum fontem omnis boni atque perfectionis, omniaque in se eminenter habere unde B. Franciscus sic orare solitus: Deus meus, Deus meus, Deus cordis mei, & omnia. Percurre, si libet, perfectiones creaturarum, & ad Deum fontem bonorum, in quo omnes simul sunt, & ex quo omnes manarunt, & dimanant quotidie, amorem transfer: ipse enim fecit omnia, & coram eo omnia velut gutta roris antelucani, aut momentum stateræ. Tertio, æternus est & immutabilis: à sæculo & usque in sæculum tu es Deus, ajebat David; nos verò ad momentum, & numquam in eodem statu permanentes; sed si virtutem ejus, & mandata diligamus, æternos nos secum efficiet & beatos. Illum igitur Dominum colamus, qui semper idem ipse est, cujus anni non deficient. Quarto, attende, quòd sit omnipotens, qui verbo uno creare infinitos mundos potest, & similiter annihilare in ictu oculi. Adspice hanc mundi machinam, maria contemplare, & cælos: hæc ipse dixit ut essent & facta sunt, ipse appendit tribus digitis orbem terræ, & libavit in pondere montes, & colles in staterâ; ipse est fons sapi-
tiæ,

tia, qui ab æterno omnia cognovit, naturam, potentiam, perfectionem rerum omnium, motum, speciem & ordinem, distinctissimeque omnia in pondere, numero & mensurâ, singulaque individua, omnes capillos capitis nostri. Ipse numerat multitudinem stellarum, & omnes eas nomine vocat; ipse mensus est pugillo aquas, & cælos palmo ponderavit, & diem prævidit, ortus & occasus omnium ab æterno, meritaque & demerita, circumspiciens omnes vias hominum. Illi si omnis scientia humana & angelica comparetur, vera est insipientia. Numquid ergo audebis arguere opera ejus, & dicere, Quare sic præcepisti nobis, aut cur hoc ita accidit? non est consilium, non est sapientia contra Dominum: omnium est artifex, omnia ille adinvenit: lux omnes illuminans, & revelans profunda cogitationum & mysteriorum. Sed in primis, appende amorem, quo diligit omnia quæ fecit, & nihil odit eorum. In hoc enim amore complacet sibi, operatur omnia propter se, & diligit ab æterno spontaneè, beneficè: zelus pro gloriâ suâ, pro justis suis; in pace tamen, auctor pacis, & cum tranquillitate zelat & judicat: longanimis super malitiâ hominum, dans metuentibus se significationem, ut fugiant à facie arcus: miserator & misericors, statim obliviscens iniquitatum, ut in Ninive apparuit: liberalissimus etiam in hostes suos, & ingratos mortales: immensus, quem cæli cælorum capere non possunt, & ubique præsens: in ipso enim vivimus, movemur & sumus, ut non sit quod ultra quæramus, cum in ipso omnia habeamus: iustissimus iudex & rectissimus; ultor terribilis, pius, beneficus, affabilis, fortis, magnificus, patiens, benignus, clemens, mansuetus, suavis, dulcis, sanctus, purus, creator, conservator, omnia providentiâ suâ gubernans & custodiens. Ipse enim verus Dominus est, & Dominus exercituum, & Rex regum, & Dominus dominantium, magnus, immensus, sublimis, excelsus, totus amabilis, desiderabilis, laudabilis,

Deus est sapientia.

Isaiæ 40.

Nemo eum arguere potest.

Iob. 12.

Sap. 11.

Deus est charitas.

Psal. 59.

Act. 17.

Perfectiones divina.

dabilis, incomparabilis: talis ac tantus est Dominus, & nos servi, creatura, & nihil. Quid igitur nos remoratur; nec ei seruiamus? eheu! quam promptè in durissimis obsequiis mundo seruitur! & pro te, Deus meus, grave nobis est per virtutem veram, veram humilitatem, puritatem, resignationem, esse beatos. O malitiam & cæcitatem filiorum Adæ!

Domine Dominus, &c. ut infr. pag 651.

*Intentio re-
cta lauda-
tur.*

Apoc. 4^e

*Contempla-
tio utilis.*

*Deus gratis
tibi omnia
præstat.*

PUNCTVM III. Considera quomodo tota curia caelestis nutui ejus obediat, Angelici illi spiritus, & Sancti omnes, maximoque amore ejus honorem & gloriam studeant laudibus perpetuis celebrare, zeloque ardentissimo ferantur: neque hi tantum, sed etiam venti & mare, & omnia obediant ei; tu verò inter omnia repugnare poteris voluntati ejus? O quam esset æquum te purissimâ intentione, id est, quia ei placet, & vult, atque dignissimus est, virtutem colere & pietatem, perfectionique studere potiùs, quam aut spe præmiorum, aut pœnæ timore! Dignus est enim accipere honorem, & gloriam, & benedictionem, qui solus est Dominus, solus altissimus. Secundò, finge hinc dæmonem, mundum, & propriam voluntatem; inde Deum optimum maximum: simulque adverte omnem omnino creaturam ab eo creatam ad gloriam nominis sui: quamque impium & indignum obliquâ intentione avertere eas à fine suo, & se convertere à creatore ad illas. Tertiò, considera Dominum in omni creaturâ præsentem, easque conservantem, & operantem in iis gratuito amore, propter te; & quam turpe te mercenarium esse, neque sincerâ charitate ei servire, totoque eum corde diligere.

Exercitium brevius.

Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam.
Tibi meum & omne genu flectatur caelestium, terrestrium
& infernorum, non teterrimis hostibus meis. Tibi flecto genus
cordis

cordis mei, & de profundis clamo ad te Domine, & desidero toto jam corde servire tibi. Magnus enim es Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis tuae non est finis. Generatio & generatio laudabit opera tua, & potentiam tuam pronuntiabunt. Magnificentiam gloriae sanctitatis tuae loquentur, & mirabilia tua nar-
 rabunt. Memoriam abundantiae tuae eructabunt, & iustitia tua exultabunt, & ego gaudens gaudebo in Domino, & exultabo in Deo IESV meo: Credo enim tibi, & in te spero, & toto corde te diligo. Amen.

Psal. 144.

Exercitium longius.

DOMINE Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in universa terra! quis in nubibus equabitur tibi, aut similis erit in filiis Dei? tu enim excelsus super omnes gentes Dominus, & super caelos gloria tua est. Veniant igitur omnes gentes, quascumque fecisti, adorent te, & glorificent nomen tuum, nomen ineffabile, quod est super omne nomen, & in nomine tuo omne genu flectatur, caelestium, terrestrium & infernorum. quis enim Deus magnus, sicut Deus noster, o anima mea? Ipse est omnipotens super omnia opera sua, & multa abscondita sunt majora his: pauca enim videmus operum eius. Terribilis Deus, & magnus vehementer, & mirabilis potentia ipsius. Glorificantes Dominum, quantumcumq; potuerimus; supervalebit enim adhuc, & admirabilis magnificentia eius.

Psal. 8.

Philip. 2.

Eccli. 43.

Ibid.

Laus Dei.

Benedicentes Dominum exaltemus illum, quantum possumus: major est enim omni laude. Quis videbit eum & enarrabit? quis magnificabit eum sicut est ab initio? Ecce Deus magnus, vincens scientiam nostram; numerus annorum eius inestimabilis, excelsior caelo est, & quid facies? profundior inferno, & unde cognoscet? longior terrâ mensura eius, & latior mari: si subverterit eam, vel in unum coarctaverit, qui contradicet ei? Nemo potest, sed etsi tam magnus sis & terribilis; attamen cum veniâ tuâ dicam, mihi certè amabilis es nimis, etsi magnitudinis tuae non est finis, video quòd neque etiam amoris tui. Vnde enim aliter meminisse mei poteras tu, qui Deus meus es, & quidem novissimi servorum tuorum? & venire ad me, & dare te mihi

Applicatio

ad Com-

munionem,

mihi

- mibi & desiderio desiderare esse & manere mecum? Absit, absit ut ultra contradicere possim, vita mea, charitati tuae, quem tam suaviter, tu ô bone JESV, invitas ad virtutem, & amorem tuum amabilissime JESV, & mandas voce illâ tuâ, quæ valeat confringere cedros Libani, & petram durissimam dicens: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde: tollite jugum meum super vos: jugum, ais, meum suave est, & onus meum leve; & ecce durus hic sermo multis videtur, & vix est qui possit eum audire. Nónne ergo tibi servire regnare est? nónne gloria magna sequi te, Domine? quis est ergo, qui nos separare poterit à caritate tuâ? an hostis teterrimus, qui circuit tanquam leo rugiens, & querit quem devoret? an mundus vanissimus, honoris fumus, umbra & vapor ad modicum parens? voluptas fœda & momentanea? hac sunt, pro dolor! quæ miseros mortales agunt precipites in ruinam, & miseriam sempiternam; quæ avertunt à te, ô omne bonum, Pater æterne, qui tam longanimiter sustines nos, & expectas ad pœnitentiam.
- Matth. 11.** Verè misericordia tua super omnia opera tua. neque enim si peccaverimus, nocebimus tibi; & si multiplicata fuerint iniquitates nostræ, nil faciemus contra te; & si iussè egerimus, nihil donabimus tibi, aut aliquid de manu nostrâ accipies: tu solum queris unde nos corones, ideoq; vis omnes ad agnitionem veritatis venire, & neminem vis perire, quia bonus es, & quia in seculum misericordia tua. Mihi ergo adharere tibi Deo meo bonum est, & servire tibi omnibus diebus vita mea. Concupiscit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore: verè enim dulcia faucibus meis eloquia tua super mel & favum ori meo. Nónne tibi subjecta erit anima mea? immò juravi, & statui custodire iudicia justitiæ tuæ, & custodiam legem tuam semper, in seculum, & in seculum sæculi. Tu enim Rex potentissimus, sapientissimus, liberalissimus, benignissimus, iustissimus, pulcherrimus, ineffabilis, & totus desiderabilis.
- Ioan. 6.** Liceat ergo mihi, cum veniâ infinita benignitatis tuæ desiderare te in nocte hæc N. miseriarum mearum, te lucem veram, ad quam in umbrâ mortis positus anhelo. Suspiro ad te potentissimum infirmus; sapientissimum stultus, & tardus corde ad credendum
- Roman. 8.**
1. Pet. 5.
Cui servire velis vide.
- Iob. 31.**
Peccator sibi nocet.
- 1. Tim. 2.**
- Psal. 72.**
Psal. 118.
- Ibidem.**

credendum in omnibus quæ scripta sunt, & quæ dicta sunt mihi, pauper ad liberalissimum. Et cur anhele & suspiro? ut te amem. hoc unum peto, te unum quero, ut sequar te per infamiam & bonam famam, per inopiam & abundantiam, sive in vitam sive in mortem: sequar per gratiam tuam, quocunque ieris in æternum. Ecce coram te protestor ex intimo affectu. Nolo conformari ultra huic seculo nequam, sed probare, quæ sit voluntas tua bona, & beneplacens, & perfecta. Dico enim per gratiam tuam quæ data est mihi, nolo alteri Domino servire, concupiscentiæ carnis, oculorum, aut superbiæ vitæ, sed tibi, amantissime JESV, Rex regum, & Dominus dominantium, tibi uni placere in justitiâ & sanctitate: scio enim, si hominibus place-
rem, tuus servus esse non possum.

Protestatio.

Actus zeli. Galat. 1.

O utinam omnes ad te exemplo bono & virtute adducere possem, à tenebris ad lucem, ab errore ad viam, à mendacio ad veritatem! cupio impendi, & super impendi pro gloriâ tuâ, pro saluteproximorum meorum, ut cognoscant, & diligant, & sciant, quia Dominus meus JESVS ipse est Deus, & non est alius præter te, Redemptor mi. Adjutor ergo meus esto, & ne derelinquas me, neque despicias me unquam, Deus salutaris meus: in te enim solo Domine, & speravi, & non confundar in æternum; in te salutare meum, & gloria; Deus auxilium & spes mea in te est; quia pater meus & mater mea dereliquerunt me, tu autem, Domine, spero, assumpsisti me: in te confirmatus sum ex utero matris meæ, tu es protector meus diligam ergo te, Domine, fortitudo mea, ex toto corde, ex totâ animâ, ex totâ mente meâ, & ex totis viribus meis, quid enim mihi est in celo, & à te quid volui super terram? absorbeat me, dulcissime JESV, immensa & melliflua vis amoris, ut amore amoris tui moriar, qui amore mei dignatus es mori. Amen.

2. Cor. 12.

Psalm. 25.

Psalm. 26.

Actus amoris.

Psalm. 72.

*Praxis exercendi sese circa perfectiones
divinas.*

PRIMA. Exercitium fidei, spei, charitatis, de quo pluribus actum est supra. Hæ enim Theologicales virtutes divinæ bonitati animam uniunt.

Secunda.

*Communi-
catio cum
Deo
Intentiore-
Etā.
Resignatio.*

Secunda. Communicatio cum Deo, quā homo ex creatis ascendit ad Deum, & ex eorum perfectione in diuinarum perfectionum admirationem rapitur & amorem.

Tertia. Pura intentio in omnibus actionibus, quoad fieri potest.

Quarta. Resignatio, quā quis sua, & voluntatem maximè, diuinæ voluntati dedicat atque consecrat, & in omnibus conformat.


Quinta. Oratio affectiva, quæ ab aliis Recollectio appellatur. Quæ breuiter hic perstringo, eò quòd infra pluribus de iisdem tractandum sit, cum de contemplatione agemus.

Dignatus es, ut supr. pag. 10.

JACVLATORIÆ.

- Pfal. 41. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum; ita desiderat anima mea ad te Deus.*
- Ibidem. *Sitit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?*
- Pfal. 26. *Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea: faciem tuam, Domine, requiram.*
- Pfal. 62. *Sitit in te anima mea: quàm multipliciter tibi caro mea.*
- Pfal. 47. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, in ciuitate Dei nostri, in monte sancto ejus.*
- Pfal. 88. *Quis in nubibus aquabitur Domino, similis erit Deo in filiis Dei?*
- Pfal. 144. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis.*







VIGESIMÆOCTAVÆ IMAGINIS

ANNOTATIO.

In omni oratione & obsecratione cum gratiarum actione petitiones tuæ innotescant apud Deum: quia sine ipso nihil potes.

Frustrà hac omnia expendisti, nisi Deus adsit. Pete igitur virtutem per **A** passionem Christi, & **B** peccatum detestare, atque iterum hîc in fine orationis seu meditationis statu prævisis **C** occasionibus virtutem, ad quam te in *Meditatione* excitasti, exercere. **D** Obsecra Deum pro illâ virtute impetrandâ, **E** Sanctos quoque roga, ut pro te Deum deprecantur. precare ardentè, velut **F** moriturus, aut in summis periculis positus. Ora etiam pro **G** fide, **H** spe, **I** charitate, **K** humilitate, **L** liberalitate, **M** castitate, **N** sobrietate, **O** mansuetudine, **P** diligentia. Demùm charitatis memor, ora pro totâ **Q** Ecclesiâ, **R** parentibus & Superioribus, **S** subditis ac tibi commissis, uti **D**avid, **T** benefactoribus, **V** inimicis, **W** peccatoribus convertendis, & **X** animabus purgandis.

CAPVT